



**I**ngo post fata Stenchilli in regem Gothorū & Sueonum sublimatur, nulli optimorum regum postponendus. quippe qui summopere contende-  
bat omnes priores reges tam in rerum gerendarum magnitudine, quàm in omnibus uirtutum officijs superare. nec minus quàm intendebat effecit. Erat enim in bellicis rebus strenuissimus, nec minus in Christiana fide propaganda sollicitus. Mores suos ad diuinas & humanas leges tanta seueritate casti-  
gauit, ut publico omnium Gothorum & Sueonū testimonio de eo dicatur: ipsum nūquam leges pa-  
trias uiolasse. Nec pauci erant, quos ille magna liberalitate in fide Christiana conseruabat. Bella is

plurima contra Iarizlaum Rusciæ regem prosperè gessit, atq; Schoningiam multis bellis afflixit, & Gothorum regna restituit. Itaq; Sueno Daniæ rex hu-  
ius uirtute motus, Guitham eius sororem præstantissimam foeminam uxore  
duxit, & cum eo pacem fanciuit. Cum hoc modo Ingo optimè præfset, tan-  
dem nocturnis insidijs, cum se securum putaret, ab impijs quibusdam aulicis  
trucidatus fuit. Id cum proceres cognouissent, punitis sicarijs, regem publico  
mœrore prosequentes in monasterio Varnheim, quod tunc in honore S. Be-  
nedicti fundatum erat, sepelierunt. Ioan. Mag. lib. 18. cap. 16.